

florebat, Dei Opt. Max. honos et gloria atque adeo etiam ecclesiasticorum status in incrementum pro omni possibilitate, usque quaquam debite procuretur.³⁾

(2) Secundo, beneficiorum temporalis ac realis possessio ab homine memoria his in provinciis solum per patronos et collatores impetrantibus ea data fuit et ad huc hodierna die datur. Ab ea consuetudine, quantumvis S. Ser^{tas} recedere vellet, non posset tamen, ne et toti ser^{mae} domui Austriae et fidelibus eorum subditis, qui etiam ea praerogativa, ultra hominum memoriam fruuntur et gaudent, praerudicium faciat, praesertim cum notorium sit divum S. Ser^{tis} genitorem foel. recor. publice sanxisse ac mandasse,⁴⁾ ut omnium beneficiorum ecclesiasticorum proventuum ac sumptuum rationes simul a beneficiariis patronis et perceptoribus seu oeconomis ipsis praesentibus omnibus parochianis, si vellent, subducerentur, quae sanctio, cum sanctissima et utilissima sit, merito in robore suo ac vigore conservabitur, idque eo amplius, cum ordinariis integrum sit, ab ipsis beneficiariis ad omnem eorum libitum statum rerum percipere.

(3) Tertio S. Ser^{tas} hactenus nemini potestatem fecit abalienandi, distrahendi vel impignorandi bona ecclesiastica, nisi propter evidentiore utilitatem ac commodum ecclesiarum. Et ita quidem, si secus absque praesentissimo damno ac insigni ecclesiarum iactura fieri non potuerat, qua quidem in re etiam ut plurimum, ordinariorum ipsorum vel eorum officialium vota ac consilia expetita fuerunt. Id circo etiam deinceps in eo statu relinquenda res erit.

(4) Quarto doceri non poterit Ser^{tem} S. unquam bona aliqua ecclesiastica propter privatos eius usus hypothecasse vel impignorasse, sed res ita se habet, cum superioribus annis divo Ferdinando Caesari ad resistendum Christiani nostri nominis hostibus Turcis neque propria seu haereditaria neque ea, quae illi ab imperio ac aliis fidelibus Christianis concedebantur, sufficerent, M^{tas} S. Ces. cum juris comunis dispositione tum apostolica auctoritate suffulta quamvis invita et magna animi sui molestia facere non potuit, quin ut verum fateatur aliquorum monasteriorum certa bona, quibus ut apparet bene carere poterant, et divenderet et hypothecaret,⁵⁾ ita tamen ut praelati ipsi eiusmodi rei semper benevole assentirent. Quod fortasse aliquot coenobiis incommodo cessit, licet negari non possit nullum omnino etiam nunc

³⁾ Vgl. Nr. 107.

⁴⁾ Ferdinand I. hat eine Reihe Mandate zum Schutz des kirchlichen Besitzes erlassen (Losert, Reformation und Gegenreformation, S. 92, Anm. 1).

⁵⁾ Vgl. Nr. 19, Anm. 33.